



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XI. De restitutione famæ defunctorum, rerúmque iisdem furtô
sublatarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XI.

*De restitutione famæ defunctorum, rerumque iisdem
furtò sublatarum.*

TOrquatus miles gregarius defunctum Ducem suum acatholicum ad tumulum cum aliis comitatus advertit, eum tumulo inferri indutum satis pretiosis vestibus, quapropter subsequente nocte tumulum adit, & effossum cadaver vestibus expoliat, & composito, ut prius, tumulo aufugit, de quo etiam non nulla postea spargit, & evulgar, quæ non leviter defuncti famam immi- nuunt.

QUÆR. I. An, qui mortuis etiam damnatis, graviter detrahit, graviter peccet contra Justitiam, & ad restitutionem teneatur, et si teneatur, cui, & quomodo facienda sit famæ restitutio?

QUÆR. II. An, & cui vestes, & alia, cum quibus defuncti humati sunt, furtò sublata, restituenda sint, & quæ pœna ejusmodi furibus jure Statuta?

QUÆR. III. An liceat Catholicis comitari funus hæretici cognati sui, aut amici?

71 **A**D I. Q. I. membrum sciendum est, detractionem esse occultam, & injustam denigrationem, seu læsionem famæ propriæ, vel alienæ, occultam, inquam, ad distinctionem contumeliæ, quæ non occultè, & in absentia, sed in præsentia illius fit, cujus honor violatur, quæque proin differt specie à detractione, sicut rapina à furto differre dicitur. Fama porò est bona communis opinio de aliquo circa aliquod ipsius bonum, quæ lædi potest & factis,

& verbis, factis, ut si v. g. adulterium Bertæ manifestes, appendendo cornua ante januam domûs, quo factò, & uxoris, & mariti famam graviter lædis. Verbis verò, variis modis fama per detractionem lædi potest, qui ex S. Th. q. 73. a. 1. ad 3. ad octo reducuntur, hisce versibus comprehensos.

Imponens, Augens, Manifestans, in mala vertens.

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè.

Vi

Videlicet 1. imponendo alteri crimen falsum.

2. Augendo, & amplificando verum crimen. 3. Manifestando, ac revelando crimen occultum. 4. Benè factum in malam partem, seu sinistrè interpretando, ac temerè exterius judicando. 5. Negando rectè facta & bonum alterius. 6. Diminuendo merita, & laudes alterius. 7. Silendo, & reticendo bonum alterius, quando manifestari deberet. 8. Ita frigidè laudando, ut hoc cedat in diminutionem famæ, & vituperium ipsius, qui laudatur.

Primis quatuor modis directè læditur fama proximi, reliquis indirectè.

Porro detractio est peccatum mortale ex genere suo, ut docet communis DD. quia ex natura sua infert damnum notabile proximo in fama; sicut enim peccatum mortale est, auferre alteri pecunias, ita multò magis est peccatum mortale auferre famam proximi per detractionem, cum melius sit bonum nomen, quàm divitiæ multæ, *Proverb. 22.* Sæpe tamen est, aut esse potest, peccatum duntaxat leve ratione inadvertentiæ, & indeliberationis, vel ratione parvitatæ materiæ, ut si levem tantummodo defectum, aut veniale peccatum de aliquo manifestes.

Sciendum 2. ad hoc ut aliquis ad famæ restitutionem teneatur, requiri sequentia. 1. Ut fama verè fuerit ablata, & infamia re ipsa secuta. 2. Ut infamatus alia via famam amissam non recuperaverit, aut obligationem non remiserit. 3. Ut qui famam alienam verè læsit, contra Justitiam peccaverit cam lædendo non solum materialiter, sed etiam formaliter Justitiam transgrediendo: Unde qui licitè famam proximi lædit, utendo jure suo, vel illicitè quidem, sed contra solam charitatem v.g. ex odio & animo nocendi ad restitutionem non tenetur, uti nec ille, qui invincibiliter ignorat se nocere famæ alienæ, nisi hic post famam injustè materialiter læsam, eam sine suo detrimento resarcire possit. Tunc enim teneretur, eò quòd causa fuerit damni eo modo dati, & in ejus potestate sit eam causam auferre, & impedire, ne datum damnum ulterius serpat, & continetur. His præmissis,

Ad 1. Q. an referre grave delictum alicujus defuncti, seu graviter detrahere de fama alicujus mortui, peccatum sit mortale, & contra Justitiam? Ratio dubitan die est, tum quia qui non est, non habet jus, quod per injuriam lædi possit: homo autem post mortem jam non est, sed fuit, atque adeò non habet jus ad famam, sed habuit, quod non respicitur à Justitia; nam hæc non respicit jus, quod quis habuit,

sed quod habet, ne illud lædatur. Tum quia homo, qui jam non est, non plus entitatis habet, quam homo merè possibilis, qui nec fuit, nec erit; atqui si de tali homine merè possibili multa diceres crimina, non peccares contra Justitiam: ergo &c. Sed respondendum est, graviter delinqui contra Justitiã, & obligationem induci ad famæ restitutionem, saltem si non constet, defunctum, cui detrahitur, damnatum esse. Ita Molina *tom. 5. tr. 4. D. 28. Less. cap. 11. dub. 21. Lugo D. 14. Sect. 4. Rebell. l. 4. de restit. q. 3. Azor. 3. p. l. 13. c. 4. dub. 9. Bonac. D. 2. q. 4. p. 2. aliique communiter.*

Ratio est, quia per gravem de tractionem gravis quoque injuria defuncto infertur, dum bona opinio, quam habet apud homines, eidem aufertur; homo enim etiam post mortem censetur possidere suam famam, & per illam vivere in hominum memoria, atque adeò bonum nomen etiam post mortem bonum est valde appetibile, & æstimabile, cujus obtinendi gratiã homines in hac vita & multa egregia agunt, & plura patiuntur. Idque verum est non solum, quando gravis infamia redundat in alias personas, illi conjunctas, sed etiam si in alios nihil omninò redundaret, quia per injustam famæ læsionem ipsi defuncto injuria irrogatur, quæ fama etiam post mortem est quoddam illius bonum æstimabile, ad

cujus pròin injustè ablati restitutionem gravis datur obligatio.

Excipit Molina l. c. cum Maldero aliisque, nisi constaret defunctum damnatum esse, neque damnatum illius famæ illatum redundare in alios illi conjunctos; quia damnati jam sunt hostes Dei, & nostri, nec sunt amplius proximi nostri, undè Justitiæ obligatio, quæ solum proximum respicit, ad damnatos non extenditur. Hinc dixi suprã saltem si non constet, defunctum damnatum esse. Contrarium tamen, æquè, vel magis verisimiliter tuetur Lugo l. c. cum Bonac. l. c. Salon, & aliis. Ratio est, tum quia damnatum injustè illatum resarciendum est per restitutionem nisi creditor voluntariè eam obligationem remittat.

Tum quia sequeretur, te posse sine culpa gravi dicere de hæretico nobili nunc mortuo, fuisse perduellem contra Regem, parricidam &c. Sine ullo veritatis fundamento; non enim ex eo, quod damnatus sit hostis Dei, habemus jus ad imponenda illi falsò alia crimina; sicut nec ex eo, quòd aliquis sit hostis Reipublicæ postumus statim sine gravi scrupulo eum infamare in omnibus materiis alia quæcumque crimina illi imponendo; uti nec peccatorem ex eo, quòd sit Dei inimicus. Nec constat, Deum per sententiam suam condemnatoriam privâsse adhuc damnatos bono famæ,

mæ, quam apud homines iuste possident. Et ratio ulterior à priori est; quia etiam damnatus non sit iam ordinatus ad eundem finem supernaturalem, manet adhuc tamen proximus noster quoad naturam humanam. Unde

Ad rationem dubitandi supra insinuatam R. hominem mortuum, quamvis iam non sit homo, retinere tamen eandem voluntatem in anima adhuc superstiti, in qua residet dominium morale, & jus ad famam, quod proin læditur per detractionem. Et hinc homini merè possibili ideò non sit injuria, quia per nihil sui est; uti nec homini futuro quò tali, quia illius anima nondum existit, quæ capax sit juris, quod lædatur.

73 Ad 2. Q. 1. membrum cui facienda sit famæ restitutio? R. in foro conscientiæ, non hæredibus aut consanguineis, sed ipsi defuncto restitutionem famæ faciendam esse, nisi etiam in eos redundaret; nam si cum defuncti fama, læsa etiam esset fama filiorum, aliorumve conjunctorum, tunc utique & ipsis restitutio deberetur, non quidem famæ defuncti, sed famæ ipsorum unà cum defuncti fama injustè læsæ. Ratio est tum quia restitutio facienda est illi, qui damnus injustè patitur: Tum quia bonum famæ, & honoris non est transferibile ad hæredes, neque hi hæreditario quodam jure ad ea

bona jus habent; atque adeò restitutio pro infamia, quatenus defuncto est injustè illata in foro conscientiæ non ipsis consanguineis debetur, sed ipsi defuncto, quamdiu infamia perseverat. Pro foro tamen externo, quando injuria quoad honorem, & famam facta fuit defuncto post illius mortem, ad hæredes, & consanguineos pertinet, intentare pro ea injuria actionem, eamque prosequi, ut notat citt. Molin. D. 38. & 45, uti etiam pro casu, quo defunctus actionem injuriarum intentaverat pro fama sibi læsa, & lite contestata è vivis excessit. Idque Jure Civili meritò sancitum est, ut ea injuria, atque infamia defuncto illata non maneret impuncta, essetque, qui in hac vita partes defuncti ea in re ageret.

Porro defuncto fama restitui potest, retractando, & revocando quod falsò de illo dixeras, vel laudando defunctum in aliis ejus bonis, ut hac via tantum famæ, seu bonæ æstimationis illi accrescat, quantum illi detraxeras: vel si crimen verum sed occultum sit, dicendo, te malè dixisse, errasse, injuriam illi fecisse, aliòve utendo modo ex alibi insinuat; Melius tamen hinc videtur, ut censent Molin. Rebell. Bonac. & alii; si restitutio defuncto fiat potius per exhibitionem suffragiorum & bonorum spiritualium, quàm alia ratione; quia hæc magis

74

magis proficua, & accepta illi erit, quam alia satisfactio.

75 Ad 2. Q. R. furantes vestes, aut alia, cum quibus defunctus humatus est, teneri utique non solum ad restitutionem ablatorum, sed etiam ad compensandū damnum, si quod, ut eas furarentur, illatum fuit, idque non solum in foro conscientiae, sed ad id in foro quoque externo cogendos, & puniendos esse, *l. Prator ait, §. adversus ff. de sepultur.* Juxta quam hujusmodi fures, si id armati more grassatorum efficiant, morte plectuntur; si verò sine armis, ad metalla damnantur.

Qui verò corpora defunctorum, seu eorum ossa in contemptum de sepulchro extrahunt, proiiciunt, aut aliter inhonorant, si humiliores sint, morte plectuntur; honestiores verò ad metalla damnantur, vel relegantur, pro majore, vel minore delicti, & injuriæ illatæ gravitate: Ob injuriam autem defuncto illatam, si vel quoad corpus illius, vel quovis alio modo ita ad contemptum, & infamiam illius pertingat, ad hæredes defuncti pertinet, intentare actionem injuriarum. *l. 1. §. etsi fortè, ff. de injur. eò,* quòd unum cum defuncto, in cujus bonis succedant, reputentur.

76 Porrò cui sic ablatorum restitutio facienda sit, an ipsi defuncto

per suffragia, an hæredibus, aut ecclesiæ? ex eo pendet, ad quem hujusmodi vestes & alia, cum quibus defuncti humati sunt, pertinere censenda sint. Qua in re videtur, eas res ad illam Ecclesiam spectare, eidemque acquiri, in qua de jure defunctus sepeliendus est, ut cum aliis censet Bonac. *D. 3. q. 21. p. 4.* quia sunt veluti sequela cadaveris, & accessorium, quod sequitur suum principale, scilicet cadaver, quod ad Ecclesiam pertinet: Unde si defunctus in aliena Ecclesia sepultus fuit, in qua non erat sepeliendus, cadaver, seu ossa restituenda sunt cum omnibus oblationibus illi Ecclesiæ, in qua de jure defunctus sepeliendus erat, nisi amicabilem conventio fiat, ut colligitur *ex cap. ex parte, & cap. in nostra de sepulcr.* & tenent communiter DD. cum Sylvest. *V. sepultura, n. 11. vers. secundum.* & ratio est, quia nihil retineri potest invito eo, cui debetur. Cæterum regulariter loquendo quilibet sepeliendus est in sua Parochiali Ecclesia, nisi sepulturam alibi elegerit, aut nisi aliud ferat locorum consuetudo, *cap. is qui, cap. cum quis, & cap. licet, de sepulcr. in 6.* nam jus sepeliendi communi lege competit Ecclesiæ Parochiali, in qua recipiuntur sacramenta.

Quod si sit Viator, sepelitur in Cathedrali, aut Parochia, in qua decedit, & quidem si pauper sit, gratis sepeliendus est à Parocho, juxta

juxta declarationem s. Cardinal. Congreg. apud Jul. Latorium l. *vauiar. tit. 2. c. 11. & 16.*

77 Ad 3. Q. R. cum Laym. Bonac. Becam. & aliis, in iis locis, in quibus Catholici cum A catholicis permixti vjvunt, usu receptum esse, ut Catholici ad sepulturam comitentur cadaver sui cognati, & amici hæretici. Tum quia id obsequii præstant causa necessitudinis & cognationis; tum quia talis cooperatio ad sepulturam valde remota est, & materialis, & idcirco ejusmodi comitantes non veniunt nomine sepelientium, ut docet Gloss. in *Clement. 1. verb. sepelire*, cum Na-

var. cap. 27. & l. 5. Consil. 12. de hæret. Tum quia talis comitatus cognationis, & necessitudinis causa præstitus, potius ad communicationem politicam, quàm ad spiritualem spectat. Imò teste Laym. l. 1. tit. 5. p. 2. c. 4. in quibusdam Germaniæ locis, ubi Catholici cum A catholicis permixti vivunt, ex diuturna consuetudine sepeliuntur A catholicis à suis Ministris in locis sacris, quæ tamen consuetudo, si posset, utique tollenda esset, & curandum, ut Catholici sacrum sepulturæ locum ab A catholicis separatum haberent, ut notat. citt. Laym.

